

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta :** 6575

**Autre(s) référence(s) :** Bates 262 / Round 165

**Auteur(s) :** Guillaume, Évreux (comte)

**Bénéficiaire(s) :** Saint-Wandrille-Rançon, Saint-Wandrille (abbaye)

**Genre d'acte :** diplôme

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** 1074

**Lieu d'émission :** Lillebonne

**Action juridique :** autre

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Guillaume [Ier], roi d'Angleterre, notifie l'accord conclu entre l'abbaye Saint-Wandrille et le comte Guillaume d'Évreux au sujet des coutumes des forêts de Caudebec[-en-Caux] et de Gauville.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

- a. Du Monstier Arthur, *Neustria Pia seu de omnibus et singulis abbatiiis et prioratibus totius Normanniae*, Rouen, J. Berthelin, 1663, p. 168-169.
- b. Lot Ferdinand, *Études critiques sur l'abbaye de Saint-Wandrille*, Paris, Champion, 1913, recueil des chartes, n° 37.
- c. Bates David, *Regesta Regum Anglo-Normannorum*, the Acta of William I (1066-1087), Oxford, Clarendon Press, 1998, n° 262, p. 789-791.

### Indications

Round John-Horace, *Calendar of Documents Preserved in France, Illustrative of the History of Great Britain and Ireland*, 918-1206, Londres, Her Majesty's Stationery Office, 1899, n° 165. Davis Henry William Carles, *Regesta Regum Anglo-Normannorum, 1066-1154*, vol.1, *Regesta Willelmi Conqueroris et Willelmi Rufi, 1066-1100*, Oxford, Clarendon Press, 1913, n° 73.

## Dissertation critique

1074, peut-être entre les mois d'avril et d'août : datation proposée par D. Bates (voir BATES, *Regesta Regum Anglo-Normannorum*, p. 790).

Texte établi d'après c

In nomine sancte et individue Trinitatis. Willelmus Dei gratia gloriosus rex Anglorum et comes invictus Normannorum. Si ea que pro statu et utilitate ecclesiarum in regno et comitatu nostro statuuntur nostris confirmamus edictis, hoc nobis procul dubio ad eternam beatitudinem et totius regni a Deo nobis commissi tutelam mansurum esse credimus et retribuentem Deum exinde in futuro habere confidimus. Igitur notum sit omnibus sancte Dei ecclesie fidelibus tam futuris quam presentibus quia ego Willelmus Dei gratia rex Anglorum

et comes Normannorum iussi hanc cartam fieri pro quadam concordia quam feci inter locum sancti Wandregisili Fontanellensem et Willelmum Ebroicensem comitem tempore Girberti abbatis. Certe monachi sancti Wandregisili, dum in foreste de Chaldebech et foreste de Gothvilla et in terra et in aqua, plures costumas ex dono et largitione avi mei Ricardi comitis proclamarent, prout erat tempore Giraldi abbatis, sicut inde adhuc plures vesturas et teneduras ostendunt, comes vero Willelmus ad hec nollet acquiescere, et hoc ex utraque parte vellent campi pugna probare, ego Willelmus Dei gratia rex Anglorum et dux Normannorum, ne causa ecclesie determinaretur humano sanguine, cum principium meorum consilio taliter feci pacem et concordiam ut et comes Willelmus bono animo erga locum remaneret et fratres sufficienter ad suas necessitates de hiis duabus forestibus haberent, et hoc non ex dono alterius, sed ex mea auctoritate et largitione cognoscerent. Hoc autem taliter erit. Quando monachi ad suum ardere, et ad edificia monasterii, et ad omnes officinarum suarum utilitates, et ad illarum omnium suarum villarum et possessionum dominicas utilitates que in confinio harum duarum forestium sunt, id est, Chaldebech, Sancte Geretrudis, Louetot, Staintot et Resenchor, Betheville, Abbatisvilla, Gothvilla, necesse habebunt, forestarios vocabunt et forestarii quantum satis est convenienter, et convenienti loco sine omni dilatione quantum opus fuerit ad fratrum necessitates dabunt. Quod si forestarii vocati noluerint venire et dare, tunc fratres licenter, et sine omni calumpnia, et tamen convenienter, quantum opus fuerit ad suas necessitates de hiis duabus forestibus accipient ; et de mortbosch quantum volunt consuetudinaliter habebunt. Monachi etiam omnes suas porcherias asserebant se posse per costumam in has duas forestes absque precio ad pascuam mittere, sed comes Ebroicensis noluit nisi duas per costumam recognoscere. Unde habita consilii deliberatione pro pace et concordia consensit adhuc et alias duas, ut quatuor numero sint que absque precio per costumam in has forestas ad pascua intrent, excepta haya sua et defensione. Ac si comes in hayam suam et defensionem suas porcharias vel aliorum miserit, tunc et monachorum porcharie absque precio licenter et sine omni calumpnia intrabunt in hayam et defensionem. Pasturam vero pecorum et animalium, sine contradicione ubicumque monachi semper habebunt. Caveat etiam comes Willelmus, vel quicunque successor suus, has duas forestes tenerit ne unquam in circuitu vel in confinio harum forestium mansiones hominum vel aliquid aliud edificium sibi faciat, sed statim terra evacuata a silva perpetualiter terra iure hereditario remaneat sancto Wandregisilo. Et ut hec auctoritas, quam ob Dei amorem et anime mee remedium statuimus, firmorem obtineat vigorem et deinceps involuta valeat perdurare manus nostre subscriptione eam subterfirmavimus.

Actum feliciter castro Iulia bona, anno ab incarnatione Domini m° lxxiiii°, indictione duodecima, residente in sede Romana papa Gregorio anno secundo, qui erat gloriosi Anglorum Willelmi annus adepti regni octavus, Girberti abbatis in abbacia duodecimus. + Signum Willelmi regis Anglorum. + Signum Roberti filii regis. + Signum Willelmi filii regis. + Signum Willelmi Ebroicensis comitis. + Signum Goisfridi filii Eudonis. + Signum Rogeri de Montgomeri. + Signum Rogeri de Belmont. + Signum Eudonis dapiferi.